

**www.e-rara.ch**

**Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae**

**Geiger, Mauritius**

**Typis Monasterij S. Galli, 1722**

**Stiftsbibliothek St. Gallen**

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Exhortatio II. Merito & praemio catechizantium, [...].

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



## EXHORTATIO II.

Ad Populum habenda.

De

Merito, & præmio Catechi-  
zantium, seu instruendum ru-  
des, aut quocùnque modo  
cooperantium.

*Qui erudiunt multos ad justitiam, fulgebunt  
quasi splendor firmamenti.*

Dan: 12. v. 3.

**E**Xpositâ sufficienter, quantum reor,  
Catecheseos necessitate, ut per  
quam penè solam fatalis tolla-  
tur ignorantia rerum de necessitate me-  
dij sciendarum; discuntur verò, quæ  
sunt fidei, & cognitionis DEI, quæ  
morum honestorum, omniumque vir-  
tutum. Impensè ergo optarem jam quàm  
plurimis efficaciter persuadere, ut hoc  
ipsum opus quòque divinissimum in-  
struendi rudes susciperent, omnique,  
quo possent, cooperarentur modo. Sed  
qui-

Ingens  
meritum  
instruen-  
tium ru-  
des.

quibus potissimum id evincam argumen-  
tis? propositâ utrique meriti & præmij  
magnitudine. Quippe vulgus amicitias  
utilitate probat. Ajo igitur ingens meri-  
tum, & consequenter par præmium esse  
instruentium rudes. Si enim fundatur  
meritum in honestate, sanctitate, & dif-  
ficultate operis, atque in puritate inten-  
tionis, quænam quæso actio in merito  
huic æqualis? Quid enim honestius,  
quàm docere Deum, devinissimâque illius  
mysteria? docere fidei Christianæ capita?  
fructus & usus Sacramentorum? docere  
divina loqui & facere? An non longè  
honestius, quàm docere idiomata Gallica,  
Hispanica? docere artes mechanicas, aut  
liberales? docere modos contrahendi,  
parandique pecunias, honores?

Deinde quid sanctius, quid divinius,  
quàm DEI ampliare honorem? ejus co-  
gnitionem, timorem, amorem & cultum  
instruere ignorantes, barbaros?

Rursus instructionem rudium per-  
quàm molestam, & operosissimam facit  
coæva & pertinax Juventutis, imò &  
quandòque senectutis ignorantia, quæ in  
quibusdam tanta est, ut à multis post  
multos annos vix edoceri queant ritè  
formare crucem, Christianas preces, capi-  
tâque fidei.

Post-

Postremò quàm ægrè à prava intentione vitari poterit opus istud ? quippe quod à laude humana longè remotum esse soleat. Diserti Concionatores de suggestibus præaltis vociferantes , præsentè & stupente turbâ nobilium, epulorum, suscipiuntur, famosi omnium ore circumferuntur. At humilis Catechista in medio rudium, puerorum, lacerorum Lazarorum, semimutorum, surdorum, à nemine celebratur, in umbra potiùs fedit soli DEO notus.

Hem igitur quàm verè immensi sit meriti Catechizare, docerèque rudes ! Ut non immeritò S. Chrysost: *Hom: 3. in 1. Epist: ad Cor:* Id multis eleemosynis præferat. Nihil est, inquit, quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus ; itaque si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam, & abducens ab errore, & ignorantia ad pietatem manuduxeris. Et *Orat: 3. contra Judæos.* Major est eleemosyna, quàm anima à peccati, & ignorantiae tenebris educitur, quàm illa, quàm corpori subvenitur. Et S. Pet: *Dam: l. 2. Epist. 2.* Nostræ divitiæ, nostrèq; thesaurus, lucra sunt animarum. Et Jerem: Qui separat pretiosum è vili, quasi os meum erit. *c. 15. v. 19.* Id est, qui è vili

è vili peccatorum , ignorantiaëque luto  
pretiosas educit animas juxta S. Chrysoſt:  
cœleſtibûſque imbuit diſciplinis , quaſi  
os Dei erit. Quid ? quòd ipſius Chriſti  
præcellentia , & magnitudo huic præno-  
bili adſcribenda ſit operi? ait enim Theo-  
phil: *Super illud Lucæ*: Magnus , & Fi-  
lius Altiffimi vocabitur. Magnitudo  
Chriſti inde eluxit , quòd instructionis  
officium exercuit, quòd homines docuit;  
ipſe enim hoc modo ſalvum fecit popu-  
lum ſuum. Concludat S. Dionyſius:  
Omnium divinatorum diviniffimum eſt,  
DEO cooperari in ſalute animarum. *Hie-  
ron: Cœl: c. 3.*

Multiplex  
meritum.

Jam verò non ingentis tantum, ſed &  
multiplicis eſt meriti docere rudes, quia  
& illa, quæ quis alium docet, ſua efficit,  
cetiſſima cauſa effectum. Quo ſit, ut quicun-  
que doceat alium formare crucem, reci-  
tare myſteria, piè & devotè confiteri,  
communicare, quoties illa practicaverit,  
dico, quoties, toties bonâ intentione  
docenti augmentum meriti accedat. Un-  
de ex mente Pauli: Is qui Catechizatur,  
omnia bona communicat Catechizanti.  
*Gal. 6. v. 6.* Non utique corporalia tan-  
tum, ſed & maximè ſpiritualia. Et con-  
firmatur evidenter; ſi enim docenti ma-  
lum imputatur ab alio patratum idem

ma-

malum, cur non & dictanti bonum? cum magis acceptare videatur optimus Deus bonum pro bono, quàm malum pro malo. Imputari autem, & augeri in auctore malum ex verbis illis comminatorijs luculenter patet: Væ! qui scandalizaverit unum de pusillis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. *Matth. 18. v. 6.* Si ergo væ! & mala plurima docenti malum, annon bene, & bona plurima docenti bonum?

Sed jam ad præmia veniendum. Quale <sup>Ingens & multiplex præmium</sup> enim, & quoduplex meritum, tantum est præmium erudientium rudes. Primum locum obtinet præmium illud, quòd tales facilem consequantur remissionem peccatorum suorum, & pænarum: instructio quippe rudium, non in impetrandò dumtaxat, verùm etiam in satisfaciendo est meritoria, propter sanctitatem, difficultatem, pænalitatemque operis. Unde S. Jacob: Qui converti fecerit peccatorem (erudiendo, monendo) ab errore viæ suæ, operiet multitudinem peccatorum. *6. 5. v. 19.* Tam resipiscentis videlicet, quàm suæ. Et S. Chrysost: Una anima, quam lucrati fuerimus, potest innumera-bilium peccatorum pondus abolere. *Hom. 3. in 1. Cor.*

Attestatur verbo & facto David, quem nostis, homicidam fuisse, & adulterum, & quod caput, fuisse Regem. Hic ergo peripiciens, quot & quanta in duobus sceleribus perpetrâset crimina, quàm iniquè tam bonum sibi Deum offendisset, & blasphemari fecisset, volénsque congruam (quantùm in viribus erat) DEO tanquam læsæ parti satisfactionem, & tanquam pijsimo patri intensissimum affectum, & tanquam summo benefactori possibilem gratitudinem rependere, ecquid quæso attentavit? An quòd diu noctûque lectulum lacrymis rigaverit? non satis habuit. An quòd tot Psalmis Dei laudes decantârit? nec hoc satis duxit. An quòd tot milliones pro ædificando templo collegerit auri? nimis parùm duxit. Ecquid ergo? Docebo iniquos vias tuas. *Psalm. 50. v. 15.* Annon omnes fateamur, quia peccavi nimis? annon omnes ingemiscimus, utinam possem tam infinitæ Majestati, Bonitatique Dei mei ullatenus satisfacere. Utinam! Ecce medium: Docebo iniquos vias tuas, erudiam rudes, peccatores.

Specialia  
quoque  
beneficia  
in vita.

Huic tam eximiae mercedi accedunt singulares gratiæ tam spirituales, quàm corporales per vitæ decursum. Consolatio interna, incrementum & stabilimen-  
tum

tum charitatis, aliarumque virtutum tam Theologicarum, quàm Moralium. Demum complementi instar accedit felix, & læta mors.

Sanè ut reor optatissimā merces, quam **Et morte.** tamen præcipuè rudium instructoribus obtingere mille testium loco esse poterit Cæsar Ruzæus Sacerdos Gallus, qui cùm aliquot ab hinc annis Avenione in Catechizanda Juventute totus consenuisset, insuper & congregationem Sacerdotum ad hunc effectum instituisset, quos & Patres doctrinæ Christianæ appellari voluit, mercedem tandem instar Apostoli Andræ consecutus est: noctu quippe inter preces luce fulgidissimā circumfusus de cælo, per illam ingenti solatio ad lucem raptus est inaccessibilem, comitantibus utique ijs omnibus, quos labore & doctrinā suā cælo intulerat.

Sed O benignissime JESU, quid quæso **Et post mortem.** his tuis amatoribus & zelatoribus à morte dabis præmij? Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Si nimirum ibi magni erunt in gloria, magno honore, magno gaudio & exultatione, quid erunt magni? in lætitia utique, & honore maximo, immenso, inæstimabili: Torrente voluptatis potabuntur. *Psalm. 35. v. 9.* Et qui docti; fuerint,

runt, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui erudiunt multos ad justitiam, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan. 12. v. 3.* Per doctos intelligendi sunt, activè docti, id est, docentes, erudientes (uti ex Hebræo notat Cornelius) non enim doctis, sed docentibus præmia dari convenit: docentes, inquam, cognitionem, justitiam, & cultum Dei, veram fidem, vel alios in hoc conservantes. Fulgebunt hi præ alijs justis sicut stellæ, non sicut communes, sed veluti majores, Luna, Sol, attestante de his Ecclesiâ: Fulgebunt justi sicut Sol. *Offic: Eccl:* Imprimis ergo juxta *Cit: Cornel:* essentialem ejusmodi instructores in gradu majori plerumque habebunt gloriam. Ratio: quia cum illorum doctrina sit practica & affectuosa, majorem involvit spiritum & charitatem, his enim impulsu rudes docent; majori autem gratiæ, & charitati major à Deo promissa est beatitudo, & gloria cœlestis essentialis, quamquam non negârim fieri posse, ut homo simplex de plebe majori præditus sit charitate, adeoque majori quàm doctor potiturus gloriâ cœlesti essentiali; sed hoc rarius, illud communius.

Deinde ampliorem gloriam accidentalem, maximè aureolam Doctoratûs, quæ

quæ  
erit  
lata  
bus  
D  
riti  
rante  
thul  
diun  
men  
roni  
E  
qua  
fort  
quæ  
chiz  
P  
liter  
& d  
rante  
tus  
Ecc  
obli  
rui  
Dei  
mar  
tudi  
quer  
pecc  
pora

quæ juxta probabilem Patrum mentem, erit corona instar stellæ, seu corona stellata, viridis, quemadmodum in Martyribus rubea, & in Virginibus candida.

Denique sicut multiplicis fuerant meriti, & participes bonorum, quos erudierant, ita erunt & præmiorum, teste Carthusiano: Sicut in omnium, quos erudiunt ad justiciam, meritis quodammodo meriti sunt, ita & in eorum omnium coronis, quasi & ipsi coronabuntur.

Ex quo colligimus Charissimi, nunquam melius impendi tempus, & vires, & fortunas, quàm in eruditione rudium, quàm Catechizando, & assistendo Catechizantibus.

Porro hæc ipsa non tantum de actualiter instruendis intelligenda sunt; sed & de omnibus quocunque modo cooperantibus, quales præcipue sunt Magistratus, & superiores, tam Politici, quàm Ecclesiastici, quos duplici ad hoc titulo obligatos Exhortatione præcedenti asserui: titulo videlicet promovendi cultum Dei, & bonum publicum. Qui proin primaria quoque juxta impensæ operæ latitudinem participant merita, & consequenter præmia; remissionem nempe peccatorum suorum, benedictionem temporalium uberrimam, horam abitis se-

Quæ consequuntur, non tantum actualiter Catechizantes, sed & auxilium ferentes, uti Magistri, &c.

curissimam, & largissimam in cœlis remunerationem. Atque ne quisquam de specialium benedictionum copia dubitet, unde David tantâ benedictione à DEO præventus, ut dominio amplissimi regni potiretur? hostium omnium victor existeret? ad summam senectutem gloriose annos protraheret? tot hæredes reges post se relinqueret? Christi proavus existeret? nisi quod instrueret, & instrui curaret rudes? Ipsemer hoc attestatur: Ego autem constitutus sum Rex, prædicans præceptum Dei. *Psalm. 2. v. 6.* Quasi diceret, ideò merui sublimari in regem, quod prædicaverim, & prædicari fecerim præcepta Dei, cultum, & laudem Dei, & quidem, vespere & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, inquit *Psalm. 54. v. 18.* Unde Salomon tam felix, ut illo rege tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum? *3. Reg. 10. v. 27.* Nisi quia docuit ignorantes? Ego Ecclesiastes, id est, prædicator fui, Salomon Rex in Jerusalem. *Eccl. 1. 12.* Prædicans & docens cultum, & amorem Dei. Unde Job tam felix liberis, tam opulentus divitijs, camelis, ovibus, tam magnus inter omnes Orientales? nisi quia erudit rudes, & in platea ad portam civitatis docebat ignorantes. Ubi super illos

illos stillabat eloquium suum, ubi conterebar molas iniqui, & de dentibus illius capiebat prædam? *Job. 29. v. 17.*

Agite igitur Zelosissimi Domini Pastores non obligatione tantum, sed & præmio, meritóque acti, ferventissimè impios, & rudes instruere per eruditas Catecheses, conciones, in confessionibus etiam, secretioribusque colloquijs. Agire, quia de vestra, & multorum salute agitur.

Vos quóque piæ animæ, vos doctiores viri, fæminæque, pueri aut puellæ, instruite ejusmodi rudes oviculas, necessaria ad salutem, preces Christianas, articulos fidei, & maximè illa, quæ in Catechesib9 ab eis recitanda sunt, quod inter laborandum subinde commodè fieri poterit, aut in mensa, alijsque occasionibus; imò in ipsa Catechesi, assistite Catechizanti in examinanda, & instruenda juventute, quemadmodum ex annuis Soc: J. de Anno 1612. Contraci & Bergæ in Belgio primos è nobilitate viros, fæminasque Catechistæ in examinandis parvulis opem tulisse, eaque quæ didicissent, ab infantibus excepisse discimus.

Agite parentes optimi, liberos vestros vobis, Reipublicæ, & cœlo educate, atque ut ab incunabulis in timore, amore, & cultu Dei proficiant, diligentissimè ad Cateche-

techesin mittite, quin & ad illa, quæ ibi recitanda sunt, instruite! reduces dein examinate, ignorantes pœnâ plectite, arcendo à mensa. Quàm studiosè equum aut bovem proximo commodatum, aut avem à pascuis reducem, an bene vel malè habeant, inspicitis, quantò magis liberos de pascuis animæ, & doctrina spiritali? denique quæ didicerunt, praticare domi mandare; frustra enim docentur liberi recitare xv. mysteria, orare expansis brachijs coram Crucifixo; si nemo domi id praticare præcipiat. Hoc ipso modo hæeretici prò dolor! pravitatem suis liberis instillant.

Agite & vos honoris Dei, bonique publici cupidissimi Magistratus, Judices, & quicunque Præpositi, si non per vosmet ipsos, ut David, & Salomon, saltem ab alijs subditos vestros in fide, moribus, & virtutibus Christianis instrui curate, ad Catecheses per edicta pigros compellite, industrios præmijs afficite, Scholas visitate, ut & ibi feriâ 6. & Sabbatho capita doctrinæ Christianæ addiscantur, mandare: Verbo, nullum non lapidem pro enutrienda Juventute movere.

Sed quid tandem vos, qui nec doctrinâ, nec potestate ad docendum polletis, & tamen amore Dei & Zelo ardetis? vos inquam

quam seniculi seniculæque ? saltem preces fundite pro instructoribus, & omnib9 cooperato-ribus, ut & illis, & instruendis adsit Spiritûs Sancti gratia, fieri sic poterit, ut multorum salus vobis principaliter in acceptis ferenda sit. Saulus sanè teste S. Augustino, in omnium lapidantium manibus fuit, quando illorum vestes custodivit. Igitur ô felix labor Charissimi, ô fortunati dies & horæ, quæ instructioni rudium impenduntur, ut qui postea æternum laudaturi sint Deum. Felix labor, ejus momentaneum & leve, æternum gloriæ pondus operatur. Felix sudor, ejus vel una guttula torrentem voluptatis meretur, Mementote Charissimi illius horæ, quâ nil nisi Deo, & pro Deo impensum nos consolabitur. Mementote illius momenti, quo fulgore sicut astra, & sicut Sol meridianus rutilare incipietis. Prò quid hoc ? sicut Sol ? homo vilissimus, forsan & conditione vilissimus, de plebe, de agro, textor, sutor, sicut Sol ? prò quid hoc ?





Indulgen-  
tiæ.

# INDULGENTIÆ.

*A Gregorio XV. Sept: XXVII. Anno 1622.  
ad promovendam doctrinam Christia-  
nam concessæ.*

**O**Mnibus & singulis Soc: Jesu Cle-  
ricis, ac alijs universis Christi fide-  
libus ubivis locorum existentibus, ac cum  
eisdem Clericis infrà scriptis cooperanti-  
bus, qui de superiorum suorum licentia  
respectivè, ac de consensu Ordinariorum  
locorum pueros, & adultos quoscunque,  
doctrinam Christianam juxta decreta S.  
Concilij Trident: docere, aut eidem dam  
docentur, interesse consueverint, si verè  
pœnitentes & confessi sanctissimo Eucha-  
ristiæ Sacramento, die festo ab eisdem  
Ordinarijs, in Ecclesijs, in quibus doctrina  
Christiana docetur, semel in anno de-  
signandis, refecti fuerint, plenariam, nec  
non ipsis, qui verè etiam pœnitentes &  
confessi dictum sanctissimum Eucharistiæ  
Sacramentum sumpserint, aut id facere  
non volentes, animo contrito nomen  
Jesu saltem corde in mortis articulo in-  
vocaverint, plenariam similiter omnium  
peccatorum suorum indulgentiam miseri-  
corditer in Domino concedimus.

Præ-

Præterea eisdem, qui pariter verè poenitentes & confessi, semel quolibet mense sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, 7. annos, & totidem quadragenas.

Qui verò in causa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ personæ ad doctrinam Christianam eant, 200. dies.

Et qui diebus stationum ejusdem urbis hanc doctrinam in Ecclesijs, aut oratorijs, de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eandem discendam accesserint, eandem indulgentias consequantur, quas consequerentur, & consequi possent, si Ecclesias stationum ejusdem urbis personaliter visitarent.

Eisdem etiam indulgentias visitatores Scholarum doctrinæ hujusmodi, qui ex commissio sibi officio visitabunt illas Scholas, quas illo die visitare poterunt, consequantur, si peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint.

Insuper eisdem, qui diebus feriatis hanc doctrinam Christianam aut publicè, aut privatim, ut præmittitur, explanaverint, 100. dies.

Necnon omnib9 & singulis Præceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam Christianam duxerint, eosque illam

illam docuerint, 7. annos, & qui diebus non feriat in proprijs Scholis eandem doctrinam explanaverint, 100. dies.

Prædictis etiam Clericis, qui Ecclesijs, seu Oratorijs, ubi doctrina Christiana docetur, Verbum Dei prædicaverint, aut collationes fecerint, licet illâ die non inter-  
venerint in aliqua Schola docendi causâ, 7. annos.

Omni-  
bus autem & singulis patrib9 & matrib9 familias, qui in suis domib9 liberis, famulis, & familiaribus utriusque sexûs doctrinam Christianam similiter explanaverint, quâlibet vice id fecerint, 100. dies.

Item ijs, qui per civitates, terras, & alia loca, viros, mulieres, aut pueros ad discendam eandem doctrinam Christianam docendi causâ circumierint, 7. annos.

Ac etiam, qui extra civitates, ad illam, ut præfertur, docendam, per castra & villas exierint, 10. annos.

Omni-  
bus etiam & singulis Christi fidelibus, qui per mediam horam prædictæ doctrinæ, aut discendi, aut docendi causâ studuerint, aut eidem doctrinæ interfuerint, 100. dies.

Eisdem etiam, qui doctrinam prædictam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint, 100. dies de injunctis eis, seu

seu aliàs quomodolibet debitis poenitentijis in forma Ecclesiæ consuetâ relaxamus.

Hæ ipsæ Indulgentiæ ad instantiam Principis Monasterij S. Galli sunt ab Urbano VIII. datæ Anno 1622. quarum summa est.

1. Instructoribus, aut his opem ferentibus, vel aliàs communiter accedentibus, in anno semel indulgentia plenaria, in loco, ubi habetur Catechesis, peractâ videlicet Confessione & Communionem.

2. In agone quôque plenaria, &c.

3. Communicantibus, in Dominicis primis Mensum, 7. annos, & totidem quadragenas.

4. Omnibus, qui alios ad Catechesin monent, 200. dies.

Cætera ut suprà.

